



Kunstblatt

I
5
N^o 38

Zur Bekämpfung der Königlich Preußischen
Militärmusik ausgewählt

26

DISPVTATIO THEOLOGICA PRIMA
DE
DONO PROPHETIAE
IN
ECCLESIA NOVI TESTAMENTI
—
QVAM
PRAESIDE
IOANNE GEORGIO KNAPP

TH. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

D. XXVI. FEBRVARII MDCCCLV.

IN REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET


IOANNES GEORGIVS OBERDÖRFFER

MAGDEBURGENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.





ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
FRANCISCO ANDREAE
A BORCKE
EXERCITVVM
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE
SVMMI DVCIS LEGATO
TRIBVNO LEGIONIS PEDESTRIS
DOMINO HAEREDITARIO IN CARTLOV
RELIQVA



DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

AD SIGNIFICANDAM ALIQVO MODO SVBMISSISSIMAM

GRATAMQUE MENTEM PRO INNIMERIS PLANEQUE

IMMERITIS INDVLGENTIAE DOCUMENTIS

DISPVINATIONEM HANC ACADEMICAM

INSCRIBERE ET CONSECRARE VOLVIT

VOTA SIMVL PRO SALVTE ILLIUS

ILLVSTRISSIMA EQVE FAMILIAE

FACIENS



SIMO

S I M V L Q V E

SSIMAM

INDVLGENTIAE ILLIVS IN POSTERVM

ANEQUE

QVOQVE SE AC STVRIA SVA

SVBMISSA VENERATIONE

COMMENDANS

ICAM

ILIAE

SVBIECTISSIMVS CLIENS

IOANNES GEORGIVS OBERDOERFFER.



INVENTORIUM LIBRIS IN LIBRARY

C. GÖTTSCHE VON GROTHUS

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS

COMPLETA

LIBRARIUS CLOVIS

JOVANNI GIORGIO OFTICCHIERI





Q. D. B. V.

§. I.



requens admodum etiam in N. T. scriptis prophetarum ac prophetiae mentio, et quidem cum insigni laude atque excellentiae et utilitatis significatione, occurrit. Prophetae enim pluribus in locis diserte *) inter potiores primae ecclesiae doctores referuntur, proximumque fere ab apostolis locum tenent; ex quo de praestantia illorum certo iudicari potest. Donum vero prophetiae non minus, a Paulo maxime, magnopere extollitur, ita ut propter insignem, quam

A eccl.

*) Conferantur v. g. et de prophetis et de prophetiae dono.
Act. II, 17. 18. XI, 27. XIII, 1. XV, 32. XVIII, 6. XXI, 9.
10. Rom. XII, 6. I Cor. XI, 4. seqq. C. XIII. XIII. XIV.
Ephes. II, 20. III, 5. III, 11. I Thessal. V, 20. I Tim. I, 18.
III, 14. Apoc. I, 3.

ecclesiae adferat, vtilitatem, inter dona ministrantia vel maxime experti voluerit. Operae itaque pretium fore arbitramur, si post *) alios in illius rationem, sacris litteris ducibus, accuratius inquiramus, quod ut apte satis ac perspicue fiat, nostra quidem de hoc argumento oratio erit tripartita. Primo inuestigabimus, quibus in rebus donum propheticum tantopere laudatum positum fuerit; deinde de iis quoque agemus, quibus tributum legimus; denique de vtilitate illius, item cautionibus circa illud seruandis, aliisque nonnullis ad illustrationem huius argumenti pertinentibus, disputabimus.

§. II.

Primo igitur loco inquirendum nobis est, quibus in rebus donum propheticum in prima N. T. ecclesia adeo frequens positum fuerit? in exordio itaque nostrae hac de re orationis, monendum statim est, discrepantes quidem admodum interpretum ac theologorum esse sententias, posse tamen pleras que re vera facile conciliari ac coniungi. Nec enim sententiae, quae discrepant, statim etiam ita inter se pugnant, ut simul constare nequeant; id quod etiam hic locum habere plane persuasum habemus. In ipsis videlicet N. T. scriptis vocabulum prophetiae interdum latius, interdum angustius patere videtur; ex quo fit, ut alias aliam notionem praecipue arripiat ac mordicus teneat, cum tamen reliquae etiam attendi debeant. Nos igitur ita in explicando hoc argumento versabimur, ut omnia complectamur, quae ex sacris litteris de eo liquere ac iure confici posse videntur. Communior et visitatior inter nostros sententia est,

donum

*) Inter quos numerantur et conferri merentur HERMANNVS WITSIVS miscell. sacrorum L. I. C. XXI, p. 282. IO. FRANC. BVDDEVS de statu ecclesiae apostol. C. VI, §. II. p. 622. seqq.
ut interpretes prioris ad Corinthios epistolae iam taceamus.

donum propheticum positum fuisse in facultate sacras litteras dextere atque ex utilitate audientium interpretandi *); quod quatenus nobis probetur probandumque videatur, ex sequentibus constabit.

§. III.

Quo vero tota oratio nostra magis distincta fiat, ad rite inuestigandam doni huius naturam tria agemus. Primo in materiam quasi doni huius, in qua versatum fuerit, inquiremus; deinde in modum collationis et comparationis; denique id quoque videbimus, in quorum maxime gratiam tributum fuerit. Primo igitur in materiam quasi doni huius inquirendum esse censemus, quam generatim mysteria siue res vel plane vel certo modo occultas, iisque ad quos tamen pertinebant, aut plane ignotas, aut non satis et quantum ad hoc vel illud ac pro temporum rationibus opus erat, notas neque ordinaria facultate rite indagandas ac perspicendas, esse arbitramur. Vbicunque sane in sacris litteris doni hujus expressior, factorumque et actorum per illud mentio fit, id quoque haud obscure appetit, circa res eo quo diximus modo occultas versatum fuisse. Quatuor vero rerum genera in ecclesia N. T. materia prophetiae videtur complexa.

A 2

1) Sae-

*) Sic inter alios I. F. BVDDEVS l. c. p. 630. scribit, locum Rom. XII, 4. interpretans, atque *huc propheta spectat, quam ceu charisma longe nobilissimum et ecclesiae utilissimum primo statim loco commemorat.* Patet vero hic non *charisma vaticinandi, seu futura praedicendi, aut diuinarum rerum reuelationem, quae immediate a Deo proficiscitur; sed donum aliquod singulare scripturum sacrum interpretandi, ut alias quoque ea vox sumi solet intelligi.* coll. p. 635. Eandem quoque sententiam tuetur I. C. WOLFIVS in notis philol. ad Rom. XII, 4. et 1 Cor. XIII.

vel ma-
arbitra-
is duci-
erspice
ipartita.
heticum
quoque
te illius,
nullis ad
bimus.

uibus in
deo fre-
c de re
admo-
posse
Nec
inter se
tiam hic
videlicet
, inter-
iam no-
tamen
xplican-
ctamur,
esse vi-
ntia est,
donum
ANNVS
FRANC.
2. leqq.
camus.



1) Saepius per prophetiae donum res futurae humano studio non certo cognoscendae ac prospiciendae prophetis ac per prophetas iis aperiebantur ad quos pertinebant; Clara atque evidentia huius rei exempla in scriptis N. T. occurunt, quae non concedunt, ut hoc rerum genus ex materia, doni propheticci excipiamus. Celebris est praecipue Agabus, qui famem, imperante Claudio, futuram non minus, quam vincula Paulo Hierosolymae iniicienda praedixit, simulque, ut similia a veteribus prophetis interdum fieri oportebat, cingulo Pauli pedes manusque suas constringendo, captiuitatem Pauli notabilem fecit Act. XI, 27. XXI, 10. et sene dubitari vix potest, longe plura in hoc genere rerum accidisse, quam commemorata legimus. Inprimis vero Ioannem apostolum silentio praeterire non possumus, qui insignis ac summus N. T. propheta in apocalypsi sua existit, futuraque ecclesiae fata usque ad finem rerum cecinit. Adiungimus adhuc quae circa Timotheum contigisse legimus, cui cum manus a Paulo imponerentur, per eos qui donum prophetiae habebant, de illo eiusque in ecclesiam meritis varia praedicta videntur; id quod ex 1 Tim. I, 18. IIII, 14. et 2 Tlm. I, 6. colligere licet.

§. III.

2) Prophetarum quoque opera Deus ad patefacendum iubendumque aliquid extra ordinem, quod fieri volebat, vtebatur: cuius rei illustre exemplum Act. XIII, 1. occurrit; ubi legimus per spiritum in prophetis imperatum esse, ut Paulus ac Barnabas ad opus segregarentur, cui a domino destinati erant, euangelium scilicet inter Ethnicos nunciandi. 3) Ad materiam porro doni propheticci pertinuisse etiam omnino videntur effata ac prophetiae V. T. ad Christum in primis eiusque munus causam ac regnum pertinentes; quip-

quippe quae partim aliquid obscuritatis in hoc vel illo habebant, partim vero genuina ac vera illarum interpretatio apud Iudeos valde obscurata fuerat. Cum itaque nonnulla in V. T. scriptis significata per consueta interpretationis praecepta et adiumenta quae tum erant, ex mente Spiritus S. certa cum fide sciri atque intelligi non potuerint, aliorum vero per se quidem satis planorum intelligentia vera valde obscurata fuerit, opera ac facultas prophetarum his rebus declarandis inferuire debebat. Id quod maxime primis illis temporibus necessarium et admodum utile erat, quo incrementa in cognitione rerum diuinarum in ecclesiis eo celeriora essent. Verum enim vero exemplis idoneis dicta probare atque illustrare necesse est, ne sine causa haec a nobis aut modo per incertam coniecturam affirmata videantur. Inter res gestas in prima ecclesia N. T. maxime notabilis est receptio Ethniconum ad Christum conuersorum in societatem ecclesiae, citra circumcisioinem susceptionemque rituum Iudaicorum. Erat vero, si summam rei ipsius spectemus, omnino in scriptis V. T. patefacta; alioquin enim Apostoli multum eam ob causam a Iudeis iudaicisque erroribus, adhuc nimis constrictis tironibus scholae Christi perpetssi, V. T. tabulas tanta cum fiducia testari, ad facta sua defendenda, non potuissent; quod tamen ab illis frequenter admodum factum esse legimus. Nihilominus vero primis illis temporibus res mysterii plena erat, tantumque non omnibus ita mirabilis et incredibilis visa, ut modus gratiae ordinariae, pro ratione temporum hominumque conditione, non sufficeret ad animos plane tranquillandos omniisque dubitatione et metu liberandos; extraordinaria igitur patefactione ad eam rem opus erat; sicuti Petri exemplo constat, qui viso propheticō obiecto, de recipiendo Cornelio diuinitus edocebatur. Quo vero omnia

eo clariora fiant, atque extra omnem dubitationem ponantur, hoc ipsum atque similia in V. T. scriptis non quidem tacita, attamen valde tum contrarii erroribus atque penitus inueteratis plane oblitterata et incognita, prophetis quoque maxime N. T. fuisse aperta, atque ab ipsis ad aliorum fidem confirmandam pronuntiata; Paulum quoque prophetiae donum tantopere extollentem audire iuuabit.

§. V.

Hic igitur primo non semel sed saepius rem illam mysterium appellat, et quidem valde primis illis temporibus incognitum; deinde diserte adfirmat, illud praeter apostolos, prophetis quoque N. T. distinctius quam superioribus temporibus esse patefactum. Videamus ante omnia, quae in epistola ad Romanos Cap. XVI, 25. leguntur, vbi potenti vero, inquit, *vos confirmare secundum euangelium meum et praecognitionem Iesu Christi secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti, manifestati vero nunc per scripta prophetica secundum iussum aeterni Dei, in obedientiam fidei in omnes ethnicos manifestati, soli sapienti Deo, per Iesum Christum, ei gloria in aeternum.* Adiungamus huic alium locum longe adhuc illustriorem totamque, quam agimus rem plane confidentem, ex epistola ad Ephesios Cap. III, 3. seqq. vbi secundum revelationem inquit, *notificauit mihi mysterium, quod in aliis generationibus non notum factum est filii hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis apostolis illius ac prophetis in spiritu sancto; esse scilicet ethnicos cohaeredes et una in corpus insitos, et una participes promissionis illius in Christo per euangeliū: ex quibus apostoli effatis sequentia liquido apparent; a) ethni- corum receptionem in Christi communionem, per quam Iudeis exaequabantur, omnino in scriptis V. T. fuisse prae- dictam; b) longe vero clarius patefactam temporibus N. T., et quidem prophetis illorum temporum, ut cum per se illam*

illam cum plena animi persuasione potuerint adfirmare aliis
tum etiam facultatem singularem habuerint, eam ex scriptis
V. T. rite eruendi atque probandi; c) haec denique omnia
ipsis per spiritum atque extraordinariam illius operationem
fuisse manifestata.

§. VI.

Videtur vero porro in hoc, in quo adhuc versamur
rerum genere ponendum, quod scilicet prophetae per diui-
num adflatum ea ex V. T. scriptis eruere atque demonstrare
potuerint, quae re vera quidem a spiritu sancto per veteres
prophetas loquente erant proposita, at per facultatem S. lit-
teras interpretandi ordinariam, visitataque illius praecepta
vix ac ne vix quidem a nobis, saltem non satis certo, cognos-
ci ac confici potuissent. Quis enim v. g. ea ex Melchisedeci
historia ad Christum pertinentia, quae Paulus demonstrat
Ebr. VII, certo confidere potuisset? cui quaeſo in mentem
venisset, legem de non frangendo osse agni paschalis, signi-
ficasse, ossa Domini non fuisse frangenda *)? dubitamus porro
quemquum mortalium per facultatem interpretandi sacras
litteras ordinariam, tam bene demonstraturum fuisse ex V.
T., quae Paulus ex historia Abrahami circa materiam de iusti-
ficatione ac testamentis Dei Rom. IIII. Galat. IIII. et de
Christo (1 Cor. XV.) ex Psalmo VIII. tam eleganter demon-
strat. Conferantur etiam quae idem vir diuinus de supplicio

cla-

*) Sunt quidem inter interpretes, qui existimant, Iohannem non
tam legem diuinam circa agni paschalis tractationem quam
vocem Dauidis, (Pſ. XXXIII, 21.). Deum ossa iusti constudire,
quo minus vel unicum illorum frangatur, aientis in animo habu-
isse; at licet forte et hunc locum simul spectauerit, iure tamen
dubitari nequit, legem maxime Mosaicam fuisse spectatam.

Christi extra portam eiusque mysterio disputat, Ebr. XIII, 11.
Similia vero a prophetis facta esse, non est, quod dubitemus *).

§. VII.

Ad materiam 4) doni prophetici videntur denique pertinuisse gratiarum actiones, preces ac carmina sacra, instinctu spiritus ac per extraordinariam illius facultatem fusa, ad animos audientium excitandos inflammadosque ad fidem, amorem erga Deum et Christum, laudesque illius ac beneficia grato animo celebranda. Occurrunt vero partim illius rei vestigia in scriptis N. T., partim vero etiam ex comparatione V. T. id valde probabiliter conficitur. Quod ad primum attinet, pertinere eo videtur carmen a Zacharia patre Ioannis baptistae fusum, in quo fides ac beneficia Dei in Christo tributa ac tribuenda laudibus celebrantur, quo in negotio vero Zacharias prophetam egiisse diserte dicitur; ita enim Lucas scribit Cap. I, 67. *Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto et vaticinatus est, dicens, laudatus sit Dominus Deus Israelis etc.* laudes ergo illae ex spiritus prophetici impulsu profectae dicuntur non minus ac reliqua, quae ex V. T. scriptis repertuntur ac cum de Ioanne tum de Christo praedicuntur. Idem videtur ex I Cor. XIII, 1. indicis haud obscuris colligi. Psalmos enim ac preces in conuentibus publicis, et quidem per extraordinariam facultatem, a nonnullis fuisse fusas ex comm.

*) Obseruandum adhuc circa hoc rerum genus putamus; postquam nobis significaciones earum patefactae sunt, perspicere nos quidem in multis posse, quam aptae sint, vix vero de iis suspicacuros fuisse, nisi primum illarum indicium diuinitus nobis factum eslet. Locum id habet multis aliis in rebus, quarum primam cognitionem vnicce reuelationi debemus, vero postea demum caussas illarum probabili ratione quoque inuestigamus.

III, 11.
nus *).
enique
instin-
sa, ad
fidem,
benefi-
cium illius
mpara-
rimum
e Ioan-
Christo
negotio
a enim
spiritu
Israels
osfectae
s repe-
cuntur.
colligi.
quidem
ulas ex
comm.
; post-
spicere
o de iis
iuinitus
rebus,
venus,
e quo-

comm. 14. 15. 16. 26. admodum verisimile fit: imprimis cum apostolus etiam alibi, quando de plenitudine spiritus expetenda loquitur, Psalmorum hymnorum et odarum spiritualium mentionem facit *), ad Ephesios ita scribens (Cap. V, 18. 19.) *implemini in spirito loquentes inter vos Psalmis, hymnis et carminibus spiritualibus; cantantes et psallentes in corde vestro Domino; gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et patri.* Gemina his sunt, quae leguntur (Col. III, 16.). *Sermo Christi inhabitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et admonentes vos ipsos Psalmis et hymnis et odis spiritualibus in gratia, canentes in corde vestro Domino.* Valde haec cum dictis (I Cor. XIII, 1.) conuenire, ibique occurrentia illustrare videntur. Apparet enim ex iis a) Carmina, gratiarum actiones et preces varii generis in conuentibus sacris illo tempore in usu fuisse *). b) Non solum a doctoribus, verum

B

etiam

*) Cum Paulus triplex carminum genus commemoret apud veteres Christianos usitatum, hymnorum scilicet, Psalmorum et odarum spiritualium, distinctionem eorum inuestigare conati sunt eruditi. Conferatur Ven. SALOMO DEILINGIVS Observat. S. P. III. obs. XXXXIII. p. 430., qui multa ex profanis auctoribus concessit ad argumentum hoc illustrandum. Vix vero satis certo discrimen triplicis huius generis hodie distinire possumus. Haud pauci in ea sunt sententia, Psalmos esse carmina quae voce et fidibus simul cantata fuerint; hymnos vero et odas voce tantum cani solitas, illosque maxime laudes Dei, has vero praecepta utilia et monita continuisse.

**) Carminum etiam in conuentibus Christianorum olim vigen-
tium mentionem facit PLINIVS SECUNDVS in notabili illa
de rebus Christianorum ad TRAIANVM perscripta epistola,
L. VII. 97.) *adfirmabant autem, inquiens, hanc fuisse sum-
mam vel culpac suae vel erroris, quod essent soliti statu die ante
lucem*

etiam ab aliis ecclesiae membris fuisse pronuntiata. c) Ex singulari plenitudine atque abundantia spiritus fluxisse. d) Apostolum quidem id quoque vrgere, vt in corde et intus quidem maxime impulsui spiritus ad precandum, laudandum excitantis, obsequantur fideles, interim tamen id etiam velle, vt sapientia Christiana, rerum malarum non solum ex pultrice sed bonarum pariter moderatrice, adhibita, suppeditata a spiritu in gratiam et emendationem aliorum eloquantur. Iam vero in cap. XIII. prioris ad Corinthios similia plane paecepta occurunt. Apparet enim nonnullis tum in linguis peregrinis suppeditatas fuisse laudes Dei; hos vero apostolus, nisi lingua vernacula id recte ac perspicue interpretari valeant in gratiam reliquorum, in conuentu ecclesiae tacere, contra vero sibi ac Deo in pectore etiam clausa perspicienti, intus atque in animo precari jubet; illos contra, quibus lingua vernacula talia suggerebantur, proloqui ea vult, seruato tamen decenti ordine, atque ita ut sapientia Christiana omnia moderarentur, ne turpis confusio res sacras diuiniasque maxime dedecens ac dehonestans, sanctitati illarum grauitatique fraudi, hominibusque offensioni esset. Simili ratione pronuntiatio ac praedicatio magnorum operum Dei, extraordinario spiritus sancti impulsu a primis Christianis post effusum spiritum sanctum facta; (Act. II, 4. 11. 17. 18.) ad prophetiam refertur.

§. VIII.

Lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem etc. Sunt quidem qui vocabulum carminis generaliter preces significare arbitrantur: quod ut concedatur cantus tamen simul comprehenduntur; sicuti etiam TERTULLIANVS apol. c. II. PLINII verba interpretatus est.

§. VIII.

Deinde eadem res quoque ex comparatione prophetarum V. T. probabiliter admodum colligitur. Nam illi quoque partim per facultatem propheticam extraordinariam, qua praediti erant, carmina ac preces fundebant. Instar omnium Dauid rex Israelis, magnique nominis dignitatisque propheta est, a quo tot Psalmos et carmina sacra habemus per spiritum S. fusa ac litteris quoque consignata, aeternisque V. T. monumentis mandata, quo ecclesiae omnium temporum usui essent. Iam vero ecclesia N. T., sicut in aliis, ita etiam respectu doni prophetici ambitusque illius, ecclesia V. T. inferior esse non debebat, sed potius superior. Id quod Ioel quem Petrus citat. Act. II. iam praedixerat, ecclesiae N. T. insignem prophetici doni libertatem diuino adflatu pollicitus. Cum itaque donum propheticum, prout tempore V. T. tribuebatur, facultatem quoque carmina et preces per spiritum fundendi complexum, idemque ecclesiae N. T. promissum sit, dubitari iure non potest, quin dono prophetico N. T. eadem facultas extraordinaria contineatur. Recte etiam ea ex V. T. hic referuntur quae (1 Sam. X, 5. 6. 10. coll. cap. XVI, 13.) occurunt, vbi haec leguntur, quando venies in urbem, et occures agmini prophetarum descendientium de excelso; ante quos nubilum, tympanum, fistula et cithara sunt, et ipsi vaticinantur: et irruerit in te spiritus Domini et vaticinaberis cum illis et mutaberis in virum aliwn: ad quae sequentia obseruare placet. a) Samuelis curae, studio, institutioni ac precibus haec libertas et largitas doni prophetici, superioribus temporibus admodum infrequentis atque insoliti, maxime debebatur. b) Cum variorum instrumentorum musicorum prophetas antecedentium hic mentio fiat, admodum verisimile ex eo fit, vaticinationem illam prophetarum comple-

xam quoque esse, carmina preces et laudes Dei; quod cum per se probabile est, tum etiam ex eo satis conficitur, quod postea David, qui pariter alumnus Samuelis propheticus factus est, Deo pariter non solum voce sed etiam fidibus aliquis instrumentis musicis et ipse cecinit et cani iussit. c) In publicum hos homines interdum prodiisse atque oracula fuisse, eum sine dubio in finem ut languentem populum ac distractum ad piam religiosamque Dei venerationem, laudesque illius celebrandas excitarent. d) Daudem eo ipso maxime tempore, quo a Samuele uetus ac rex populi diuino iussu designatus est, accepisse donum propheticum, cuius ope voce ac fidibus ex tempore cecinerit, ac postea tot egregia carmina confecerit.

§. VIII.

Verum progredimur nunc ad alterum, quod in prima hac disputationis nostrae parte, nobis tractandum summisimus; in quo vero brevioribus nobis iam esse licebit, cum de re ipsa ex superioribus iam aliquo modo constare queat. Dicendum scilicet adhuc restat, ad doni huius naturam et rationem accuratiu[m] intelligendam, de modo collationis illius ac comparationis. Dupli scilicet ratione dona Dei generaliter conferuntur, ordinaria et extraordinaria. Collatio ordinaria in eo continetur, si certa et ordinaria media ab ipso Deo sunt constituta, quibus homo rite vti debet, et sub quorum decenti vsu, haec vel illa dona tribuuntur, er quidem fere pro modo studii, industriae ac fidelitatis, quam homo in vsu mediorum reliisque officiis debitis praestandis adhibet. Hac quidem via dona sanctificantia nobis tribui solent. Nec minus idem fere accidit in donis ministrantibus ordinariis magisque perpetuis. Sic v. g. donum salutaris interpretationis S. litterarum tractationisque illarum nobis aliis-

aliisque vere salutaris, tum tribuitur et augetur, si medio verbi diuini recte, pie ac fideliter vtimur; id quod sine sincera ac seria ad nos ipsos translatione piisque precibus ac proinde vera ad Deum conuersione fieri non potest 2 Tim. III, 15. 16. extraordinario vero modo dona diuina, et in primis quidem ministrantia extraordinaria conferuntur, si Deus per extraordinariam spiritus S. operationem, sine mediis saltem ordinariis, per adflatum subitum ac sine antecedente operoso hominum labore dona illa largitur. Hinc si de eiusmodi donorum extraordinaria collatione sermo est, spiritus Domini frequenter dicitur *irruisse*, celeriter scilicet et extraordinario impulsu, in huiusmodi homines id saepius non cogitantes, eosque ad hoc vel illud singulari facultate instruxisse. Idem accidebat in ecclesia N. T., in qua sane dona illa varia, saltem extraordinaria magis et non perpetua, quae Paulus 1 Cor. XII. fuse commemorat, sine dubio modo extraordinario collata, nec ab ipsis qui habebant per certorum mediorum laboriosum usum sunt comparata. Quin ergo circa donum propheticum eadem collationis ratio locum habuerit dubitari non debet. Quod si de dono hoc in uniuersum valet, valebit etiam de singulis eius partibus, ac proinde etiam de facultate illa sacras litteras interpretandi, quam supra diximus.

§. X.

Cum iis igitur sentire non possumus, qui per prophetiam interdum, in N. maxime T. scriptis, facultatem ordinariam scripta sacra interpretandi, per usum mediorum comparatam, significari existimant. Θεοπνευσια potius atque suppeditatio extraordinaria etiam in eo casu, si scilicet interpretatio S. litterarum cum prophetiae mentione coniungitur, semper locum habebat, vt ita adflatu celeriter et extraordinario

nario aliquo lumine diuino mentem perfundente, ea viderent in sacris litteris, quae per facultatem ordinariam et comparatam, ac pro modo luminis ordinarii, quod habebant, videre non potuissent. Idem ergo accidit iis, quod apostolis, quibus Dominus post redditum in vitam mentem aperuisse dicitur, ut sacras litteras et imprimis oracula de ipso plene ac celeriter intelligerent; id quod, ut ex omnibus apparet, non modo ordinario ac sensim, sed celerrime atque extraordinaaria spiritus operatione factum est. Luc. XXIII, 45. Ioh. XX, 22. Tam perspicue ea quae diximus ex sacris litteris consequuntur, ut etiam illi partim id agnosceret et fateri cogantur, qui in ea alioqui sententia sunt, prophetiam saepius non nisi comparatam per media ordinaria sacras litteras interpretandi facultatem significare; inter quos IO. FRANCISCVS BVDDEVS est, qui postquam sententiam hanc copiose admodum defendere ac confirmare conatus fuerat (in delineatione eccles. apostol. c. VI. §. II. p. 622. seqq.) tandem tamen, refutato ANTONIO van DALE, vi veritatis commotus ita scribit. *Paulum apostolum per prophetiam explicationem quandam scripturarum intelligere, ex comparatione cum dono linguarum luculentius constat, quam ut negari aut in dubium vocari queat. Accessisse quoque donum aliquod EXTRAORDINARIVM seu SVPERNATURALE, saltem INTERDVM aut PLERVMQVE, vel inde manifestum est quod apostolus versu 30. 1 Cor. XIII. diserte reuelationis mentionem facit.*

§. XI.

Verum restant adhuc nonnulla adiungenda, quae notatu non indigna videntur. a) Quemadmodum prophetis veteribus vigilantibus ac somniantibus ac per visa etiam obiecta raptusque oracula dabantur interdum, ita vatibus N. T. similia interdum contigisse iure dubitari nequit. Apparet

ret illud primo ex luculenta promissione apud Ioelem cap. II. ad ecclesiam N. T. pertinente, in qua somniorum ac visorum diuinitus obiectorum diserta mentio fit; quam sane sine dubio impletam esse credendum esset, si vel maxime in scriptis sacris nihil ea de re legeremus. Iam vero accedunt plana N. T. testimonia. Statim in principiis illius Iosephum Mariae maritum ac magos Christum recens natum veneratos diuinitus per somnia in quiete monitos legimus. Nec defuncta exempla ecstasum visorumque, quae Petro ac Paulo saepius obtigerunt cf. 2 Cor. XII, 1. seqq. b) Id quoque obseruamus poterant ex illis, quae prophetis diuinitus et extra ordinem hoc vel illo modo ac tempore suggerebantur, ut et ipsi sibi proponerent acrius et aliis patefacerent, ante talem suggestionem iam per se nota esse; interim tamen etiam illa, non minus atque ante adflatum propheticum ipsis ignota, erant ac iure censemebantur extraordinem diuinitus suggesta. Nam per operationem spiritus Dei extraordinariam illo tempore atque eo modo in memoriam illis redigebantur, ipsis ad eloquendum impellebantur; ex quo efficiebatur, ut etiam tum, cum talia fundebant, prophetas agerent; in primis cum saltem plerumque cum suggestione notorum suggestio quoque ignotorum coniuncta fuerit. Interest scilicet, id quod rem causamque hanc continet, inter reuelationem et Θεοπνευσιαν. Per illam, vocabulo angustius patente, significantur antea ignota atque latentia; per hanc vero cum antea iam nota tum etiam demum reuelata, diuino instinctu atque adflatu suggestur, proponuntur animo ac proferuntur; ex quo apparet Θεοπνευσια saepe latius patere quam reuelationem. c) Etsi prophetiae donum extraordinarium quid erat, cuius proinde usus non in potestate illorum ac libe-

derent
compa-
nt, vi-
aposto-
aperu-
so ple-
pparet,
ordina-
XX,22.
uuntur,
ui in ea
compara-
faculta-
DDEVIS
o defen-
es.apo-
o AN-
scribit.
criptura-
tius con-
te quoque
VRALE;
Iesum est
i mentio-
uae no-
prophetis
iam ob-
ibus N.
Appa-
ret

libera voluntate positus erat, qui habebant *); et quamuis Deus non per media ordinaria hac in re agebat; poterat tamen nihilominus interdum circa illud praeparatio aliqua atque excitatio, per usum fidelem mediorum ordinariorum, locum habere, Deusque ea occasione vti, fidem in usu ordinariorum, largiendis extraordinariis remunerandi. Exempla sane sunt in promptu. Sic Danieli piis precibus immidente periculo se excitanti, donum propheticum tributum legimus, vt somnium regis cognoverit et interpretari potuerit c. II. et cum alio tempore in attentam considerationem vaticiniorum Ieremia incumberet animumque ad preces excitaret, per angelum res occultae maximique momenti ipsi patefactae leguntur cap. VIII. **) quin idem prophetiae do-

num

*) Generatim id in donis ministrantibus extraordinariis locum habuit, vt usu illorum non simpliciter in potestate habentium fuerit: expectandus potius fuerat singularis Dei ad illa vtenda impulsus: sic v. g. Paulus facultate per miraculum ac celeriter aegrotos sanandi, deficiente tali impulsu, in Epaphia et Trophimo vti non poterat, quamvis voluntas eum sine dubio non defecerat. Phil. II, 25. seqq. 2 Tim. IIII, 20. Doceri enim hoc modo atque admoneri debebant primo viri Dei ipsi, non a se sed a Deo et quidem gratuita haec omnia haberi, ac proinde non inflatione sed modestiae alimentum expeditare debere; deinde eaueri quoque eo modo debebat, ne ab aliis nimia et inconsulta admiratione adficerentur serui Domini, in fraudem ipsius Domini atque causae illius. cf. 1 Cor. III, 5. seqq. IIII, 6. seqq.

**) Illustrum etiam est Eliiae exemplum (2 Reg. III, 15.) Psalmen poscentis de quo sicuti etiam de aliis musica se excitantibus bene scribit H. WITSIVS Miscell. L. I. c. X. §. VIII. p. 78.
Non abnuendum arbitror, quin sacra illa musica praeparatus quodam-

num N. T. tempore habentibus, contigerit non est quod dubitemus. Fieri enim id debet in omnibus donis Dei, vt fideli vnu mediorum ordinariorum gratiae, nos ad accessiones illarum consequendas, rectumque illorum vsum excitemus ac praeparemus. Hinc Paulus Timotheum vetat negligere donum Dei in ipso 1 Tim. IIII, 14. contra vero excitare atque resuscitare iubet; 2 Tim. I, 6. interim tamen in dono propheticō effectus, eiusmodi praeparationes per media ordinaria consequens, ordinariae et visitatae spiritus per media operationi par non erat, sed maior; quam ob caussam proinde extraordinarius iure existimatur et appellatur. d) Comitabantur interdum propheticas animorum commotiones alia extraordinaria, quae variis modis vsui esse poterant, et aliquid ad animos salutariter excitandos conferre Act. IIII, 31. cap. XVI, 25. 26. e) Denique coniuncta etiam erat, cum propheticis reuelationibus singularis diuina vis atque effica-

C

cia,

dammodo animus fuerit, et eleuatus ad diuinæ gratiae influxum recipiendum. Siue existimemus, vehementi illa emotione affectuum, quos concitarunt suave sonantia instrumenta, animum veluti sede sua motum, facilius a Deo impulsū esse prophetico spiritu ad extraordinarios etiam corporis motus, in quibus praesentis numinis indicia se pandebant: siue malimus credere, dulci aliqua musica sedatum fuisse animum, eosque affectus compositos, qui lenem illum diuini spiritus influxum impediunt. Eo enim fine videtur Elisaeus psalten poposcisse, qui coram ipso modularetur, ut animum propter impietatem regis sancte quidem, at fortasse iusto vehementius, turbatum pacaret. Nimirum sanctum aliquod carmen coram se cani voluit, admixtis una precibus et laudibus Dei, quibus tum animi piorum permulcebantur et attollebantur, atque aptiores siebant ad accipendam propheticam illustrationem; tum Deus mouebatur ad reuelandum quid facto opus esset.

amuis
rat ra-
aliqua
iorum,
su or-
Exem-
immis-
butum
potue-
ionem
s exci-
ti ipsi
ae do-
num

locum
benti-
ad illa
um ac
paphia
m sine
o. Do-
viri Dei
nia ha-
m sup-
lebebat,
or serui
lius. cf.

Psalten
antibus
p. 78.
us quo-
dam



cia, per quam effici debebat, ut et ipsis quibus obtingebant et aliis qui audiebant, certa illarum rerum fides etiam fieri posset, si modo diligentiam debitam adhibere vellent; alioquin enim propheta finem propositum consequi non potuisset. Videntur quidem modo dictis obesse nonnulla, quae i Cor. XIII. leguntur; de iis vero parte disputationis nostrae tertia dicendi locus erit.

§. XII.

Accedimus igitur nunc ad tertium in prima vniuersae orationis nostrae parte adhuc explicandum, in eo scilicet positum, ut constituamus; in quorum maxime gratiam donum hoc a Deo ecclesiae N. T. tributum fuerit. Paulus igitur perspicue nos ea de re edocet, tributum scilicet fuisse maxime in gratiam credentium adfirmans, secus ac linguarum donum, quod in gratiam non credentium maxime tributum dicit; hunc enim in modum scribit, i Cor. XIII, 22. *binc linguae in signum sunt, non credentibus, sed non credentibus; prophetia vero non iis qui non credunt, sed credentibus.* Prophetia ergo illis maxime inseruiebat et inseruire poterat, in quibus iam initia fidei erant. Qua de re pariter parte vltima disputationis nostrae pluribus exponendum erit. In praesenti id tantum adhuc adiungimus, non ita, quae Paulo praeiente diximus, accipienda esse, ac si usus doni prophetici solis credentibus definitus fuisset, nulloque plane modo ad non credentes pertinuisset. Loquitur enim apostolus de eo quod maxime siebat. Ex maiori vero parte res quaelibet appellari solet. Id quod etiam de linguarum dono valet, quod pariter apud fideles usum praestabat, ac praestare poterat.

§. XIII.

Absoluta itaque prima orationis nostrae parte, progredimur iam ad alteram, de iis scilicet exposituri, quibus propheti-

phetiae donum tributum legimus. Primo itaque de variis hominum generibus, qui illius participes fuerunt, dicemus; deinde de gradibus variis huius doni modoque in illis agemus; denique quaestionem disceprabimus, an et quo consilio aliquid prophetici non renatis interdum fuerit tributum, qui dona spiritus s. sanctificantia non habebant. Primo igitur loco de variis hominum generibus dicendum est, quibus donum hoc in ecclesia N. T. tributum legitur. Non igitur uno aliquo hominum genere, aetate, sexu aut ordine definitum fuisse, aut esse debuisse, primo ex promissione diuina apparet late admodum patente. Ita enim Deus apud Ioelem cap. III, 1. et postea effundam, inquit, spiritum meum super omnem carnem, et vaticinabuntur filii vestri ac filiae vestrae; seniores vestris omnia somniabunt; iuuenes vestri visa videbunt; et etiam super seruos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Iuuabit omnino adhaec nonnulla obseruare. Generatim ergo ex his apparet, Deum sicut dona sanctificantia, sepositis naturalibus et externis hominum discriminibus, omnibus conferre paratus est; ita etiam dona ministrantia largissime ministrare, nec hoc vel illo hominum genere se alligare voluisse. Hac ergo quoque in re sicut in aliis, in Christo discriminem sublatum est, ne quis se efferat, ac se reliquis anteponat, vel alienis donis insolenter glorietur. Verum consultum erit speciatim quoque nonnulla adhuc monere. a) Igitur senioribus non solum sed etiam iuuenibus donum hoc tribuendum dicitur, ut apparere, non aetatis semper rationem haberi; senectutemque id per se non adferre, ut quis muneribus spiritus largius instruatur, nec iuuentutem per se impedire, quo minus id fiat; hinc iuuenes etiam v. g. Timotheum largissime a Deo instruetos legimus. b) Seruorum quoque, ancillarumque fit mentione. Dura horum olim erat conditio statusque valde contem-

tus, ut infimo loco haberentur. At Deus fortuita haec et externa hominum discrimina non curat; sed quemadmodum in rebus naturalibus beneficiis suis omnes certo modo exaequat, imo tenuioribus interdum maiorem illorum modum tribuit, quam genere, opibus ac dignitate praestantibus; ita idem quoque in spiritualibus facit. Hinc in Christo nec seruus nec liber est, aut ex eo quod est, aliquid praecipui habet. Quemadmodum igitur gratia salutaris ad salutem adparuit omnibus hominibus, etiam seruis Tit. II, 9. 10. 11. ita munera quoque gratiae ministrantia his etiam infimae licet conditionis hominibus tribui debeant, ne vlla caro coram illo gloriaretur. c) Discrimen quoque sexus hic sublatum legitur, ita ut etiam, quod ad hanc rem, nec vir nec mulier in Christo sit; qua de re in primis aliqua adhuc obseruari merentur.

§. XIII.

Admiranda primo appetet diuina sapientia, quam Paulus nobis alioqui fortasse non tam facile animaduersam, in comparatione vtriusque sexus obseruat. (1 Cor. XI.) debebat scilicet ex primo quoque consilio Dei vir caput mulieris esse illique praeesse; quod ut primae originis ratione signaretur et constitueretur, Deus virum non ex muliere, sed mulierem ex viro effecit *). Erat vero porro consilii diuini et sapientissimi

* Latere vero in hoc Dei consilio aliud adhuc mysterium, ad Christum necessitudinemque illius cum corpore suo mystico, ecclesiam scilicet, pertinens, Paulus nos edocuit, Ephes. V. Praesignificari scilicet debebat, fore, ut sicuti mulier ex primo homine naturaliter propagata est, ita etiam ecclesia tamquam sponsa et corpus mysticum Christi spiritualiter ex ipso propaganda sit. Constat praeterea, nimis mirabilem atque incredibilem primam illam mulieris ex latere viri formationem nonnullis esse

tissimi et saluberrimi, vt vir omnem saeuitiam et abusum excellentiae concessae caueret, mulierique honorem debitum amoremque praestaret: constituit igitur ille ex quo omnia sunt, vt temporis progressu omnis vir ex muliere nasceretur; cui legi diuinae ipse Dominus humanam naturam adsumturus se subiecit. Deinde quod ad ipsam largitionem doni prophetic attinet mulieribus facta, clara illius rei exempla occurunt. Tacemus V. T. exempla, in quo Miriam, Debora, Hulda occurunt, matronae dono hoc insignes ac conspicuae; N. enim Testamenti scripta eius quoque rei nobis exempla suppeditant. Lucas Hannam cap. II. de Christo recens natatam egregie testatam diserte vatem appellat; ac virgines filiae Philippi diaconi dono hoc pariter instructae leguntur; A&t. XXI. immo inter Corinthias quoque feminas disciplinam Christi secutas existisse, quae vaticinarentur, haud obscure ex 1 Cor. XI. colligi posse videtur *). Interim tamen non minus certum et exploratum est, viros praeципue sicut aliis donis ministrantibus, ita etiam hoc in primis maxime utili fuisse instructos; quippe quos Deus ex causis sapientissimis ac

C 3 faci-

esse visam, vt ideo ad allegoricas interpretationes confugere necesse putauerint. Re vera autem huiusmodi homines nodum in scirpo quaerunt, non cogitantes, quod ad caput et summam rei attinet, simile quid in omnibus mortalibus fieri, quippe qui omnes in utero matris ex carne illius ac sanguine formantur.

*) Hinc prauae imitationis studio factum etiam legimus, vt mulieres, non secus ac viri, subinde extiterint, quae falso se vates iactabant, hominesque in fraudem inducebant. Id quod perspicue appetet ex Ezech. XIII, 17. sqq. nec temporibus N. T. defuisse huiusmodi mulieres per fraudem vaticinas, exemplo Iesabelae constat ecclesiam Thyatirensem infestantis. Apoc. II, 20.

facile cuius apparentibus institutioni aliorum ac gubernationi destinavit.

§. XV.

Verum progrederimur iam ad alterum supra propositorum, disquisituri scilicet de gradibus variis huius doni in diversis hominibus, eiusque modo in illis. Dominus igitur dona sua generatim varie distribuit, aliudque alii largitur, ne quisquam se efferat, quasi omnia consecutus: quo efficitur idem quod in corpore eiusque membris, ut scilicet nemo sit, qui non alterius indigeat, ac nemo qui non alteri ex aliqua parte profit ac prodesse possit; id quod Paulus i Cor. XII. elegantissime pluribus persequitur. Verum non solum id sed etiam hoc adhuc obseruare licet, Deum vnum idemque donum non pari gradu modoque, iis quibus obtigit tribuisse; idquod etiam in prophetico dono locum habere cernimus. Intererat enim variis modis inter illos qui consecuti fuerant. Apparer hoc ex comparatione prophetarum Veteris Testamenti *); appeter vero etiam ex illis apostolorum praexceptis, quibus quisque mensuram huius doni aliorumque cognoscere eum in finem iubetur, ne aut plura sibi arroget, quam habeat, aut id quod habeat negligat, ac sine aliorum vsu quasi otiosum iacere patiatur, ut ex Rom. XII. i Cor. XIII. i Petr. II. appetet. Conficitur denique etiam ex comparatione aliorum, donorum in quorum distributione eandem inaequalitatem locum habuisse cernimus; sicuti exemplo extraordinariae facultatis linguarum constat, qua apostolos reliquis omnibus longe praestitisse ex Pauli verbis perspicue appetet, *gratias ago Deo,* inqui-

*) Notum est Eliae exemplum duplum spiritus Eliae (i. e. duplex illius portionis facultatis propheticæ, quam reliqui condiscipuli prophetici in schola Eliae habebant) sibi expertis ac consecuti.

inquietis, quod plus linguis loquor, quam vos omnes; cuius quoque rei ratio aperta satis atque in promptu est: cum enim apostolorum fuerit, orbem terrarum circumire euangeliumque de Christo nunciare, res ipsa efflagitabat, vt facultatem plane singularem linguarum haberent, quo cuiusvis populi lingua promte ac facile ad docendum vti possent. Variis vero modis inter eos qui dono propheticō valebant, interessat atque interesse poterat; poterant alii plura, alii maiora ac grauiora, alii plane antea incognita ac nondum reuelata, alii clariora ac distinctiora aperiri. Omnia enim haec in prophetis V. T. obseruare licet, nec est quod dubitemus, eandem discrepantiam ac varietatem in prophetis N. T. locum habuisse; quod ne modo per coniecturam dixisse videamus, vel unico, Ioannis scilicet apostoli, exemplo confirmabimus; cui fine controversia aliquid praecipui ac cum singulari excellentia apostolorum reliquorum hac in re tributum est; id quod apocalypsī eius satis demonstrat, tota ex vaticinationibus de rebus, illo quo viuebat tempore adhuc futuris constans ac maximis.

§. XVI.

Vnum vero adhuc supereft, in hoc de varia doni propheticī mensura arguento non praetermittendum. Videatur scilicet hoc etiam inter doni prophetici participes interfuisse, vt scilicet apud alios magis perpetuum ac constans, animisque magis quasi inhaerens et insitum fuerit, qui propriæ prophetarum nomine appellantur: apud alios vero minus perpetuum ac frequens erat, ita vt interdum tantum a rarius diuino huiusmodi adflatu atque instinctu commouerentur; si videlicet Deo illorum opera, pro hominum temporumque conditione, ad hanc vel illam rem singularem vti placebat: cuiusmodi homines non tam donum, quum potius im-

pul-

pulsum modo propheticum interdum habuisse censendi sunt. Illi quibus primum illud ac maius contigerat, non nisi viri Deo probati, experti, vsuque rerum diuinuarum spirituali subacti ac proinde ita animo constituti erant, ut ab omni tam egregiae facultatis abusu longe remoti essent, dictorumque suorum veritatem ac fidem vitae sanctitate aliis commendarent. Talium etiam vnice virorum opera Deus ad libros sacros conscribendos usus legitur, quippe qui a Petro omnes *εγγιω Θεος ανθεωποι, sancti viri Dei*, appellantur.

§. XVII.

Restat denique tertium in hac vniuersae orationis nostrae parte secunda adhuc explicadum. Quaeritur scilicet, an Deus in ecclesia quoque N. T. hominibus non renatis, ac proinde muneribus spiritus S. sanctificantibus non instructis, interdum prophetiam tribuerit; et si id factum esse probari potest, quibus ex causis et quo consilio id factum sit. Quod itaque ad primam disputationis huius partem attinet, de V. T. tempore omnino constat, Deum interdum atque in certis casibus hominibus non renatis prophetiam dedisse. Bileam exemplum hominis auari, callidi atque ad fraudem nocendumque parati est in promtu; cui, ingratias fane ipsius, idque valde indignanti prophetia ad felicitatem populi Israelitici pertinens data est; quam etiam metu poenarum eloqui coactus fuerat. Idem vero etiam N. T. temporibus interdum factum esse, ex testimonio primo satis luculentis; deinde etiam ex similitudine aliorum donorum similium extraordinariorum appetet. Primo itaque testimonia illius rei sunt in promtu. Ut enim taceamus Paulum i Cor. XIII haud obscure significare videri, posse quemquam prophetiam ac linguarum facultatem, nec tamen amorem verum ac genuinum habere; alia adhuc praesto sunt plane perspicua, nullamque iustum

iustum dubitandi causam relinquentia. Audiamus ergo testem omnium locupletissimum ipsum scilicet Dominum, ita disserentem (Math. VII, 22.) multi dicent mihi, Domine, Domine, nonne in nomine tuo vaticinati sumus, et in tuo nomine daemonia eieci mus, et in tuo nomine virtutes multas effecimus; et tunc confitebor ipsis, nunquam cognoui vos, sedecide a me operantes iniquitatem. Ex his verbis sequentia luculenter apparent. a) Homines hic dici Christum quidem verbis Dominum profitentes, at falsos, si mulatores, ac fictos Dominoque nunquam vere obsecutos ac probatos. b) Hos ipsos homines in nomine Christi vaticinatos esse, eoque ipso se etiam decepisse, ut bene de se ac salute sua existimauerint, sibique etiam optime de Christo ac causa illius meriti sint visi. Nec est, quod quis cogitet, non de prophecia per se vera atque a Deo data hic sermonem esse, sed de consulto facta aut a Diabolo simiam Dei agente suppeditata: huius enim opinionis ne minimum quidem indicium in verbis Domini est; quippe qui non res per se ab his hominibus prolatas et factas, sed homines ipsos redarguit ac damnat, falsosque atque impios pronuntiat, dum vera per se ac bona sine sui emendatione dicebant. Adiungimus memorabile Caiphae exemplum Ioh. XI, 49. seqq. hic postquam in confessu senatus Iudaici pronuntiauerat praestare, ut unus hom. pro toto populo moriatur, quam ut totus populus pereat, Ioannes notabilia plane, quae sequuntur, verba subiicit: hoc vero a se ipso non dixit, sed pontifex maximus existens anni illius, vaticinatus est, quod Iesus moriturus esset pro populo, et non pro populo solo, sed ut liberos Dei dispersos congregaret in unum.

§. XVIII.

Ad quam interpretationem alieni dicti et facti, Ioanni etiam alias solitam ac propriam, sequentia obseruamus.
a) Vir diuinus diserte adfirmsat, Caipham hominem sine dubio

D

impro-

improbum verba illa non ex se ipso protulisse, aut sibi reli-
ctum prolatarum fuisse b). Vaticinatum proinde esse, in-
stinetu ac gubernatione diuina extraordinaria dicta suggeren-
te. c) Singulare quid illud fuisse, factum ex eo quod illo anno
pontifex maximus fuerit. Consilii scilicet diuini sapientissimi
erat, vt ipse sacrorum Iudaicorum antistes diuino im-
pulsu inscius et nolens rem verissimam ac maxiam praedi-
ceret. Sunt etiam, qui in verbis eius anni vim ponunt, morte
scilicet ac resuscitatione Iesu, nec minus largitione donorum
spiritus S. valde insigni ac memorabili, sollicitam hanc no-
tationem anni illius aliquid in recessu habere, existimantes *).
Ceterum quod ad rem ipsum atque argumentum prophetiae
huius attinet recte scribit IO. ALB. BENGELIVS in gnomone
ad h. l. *Caiphas cogitat de utilitate politica, sed spiritus prophetae ita illum gubernat, ut verbis utatur ad utilitatem spiritualem exprimendam idoneis. Caiphas et Pilatus Iesum condemnarunt. Vterque tamen testimonium a suo ipsorum sensu alienum perhibuerunt. Caiphas hoc loco de sacerdotali morte Christi, Pilatus de regno in titulo crucis.* Satis ergo ex his probatum est, quod probari debet.

§. XVIII.

Accedit vero etiam similitudo aliorum donorum mi-
nistrantium et quidem miraculosorum et extraordinariorum,
hominibus animo a Christo alienis tributorum interdum.

Sic

*) Ingressus est in hanc sententiam IO. LIGTFOOTVS in ho-
ris cbraicis ad h. l.; quem tamen refutare conatus CAMPE-
GIVS VITRINGA obseru. S. L. VI. c. XIII. §. III. p. 389.
sqq. non abnuente IO. REINHARDO RVSIO Harmon. Euang.
L. V. p. 1. S. III. p. 1147. nec tamen Vitringianas rationes
contrarias tam solidas ac graues putamus, vt LIGTFOOTVM
caussa plane cadere censeamus.

Sic Domino in terris versante, fuisse nonnullos inter Iudeos legimus, non vere credentes, qui tamen in nomine Iesu daemonia ex obsecisis expellebant. Apparet vero illud ex dicto Domini Luc. XI, 19. *si vero, inquietis, ego daemonia per Beelzebul expello, per quem liberi vestri illos expellunt; id circa iudices vestri erunt*, cf. Marci VIII, 38. Fuisse enim inter hos saltem non nullos, qui veram ac salutarem fidem non habebant ex Matth VII, 22. satislique. Erant scilicet illis temporibus haud pauci inter Iudeos, qui miraculis Christi commoti assentiebantur, illum vel Christum, vel insignem tamen ac divinitus instructum prophetam esse; qui tamen in illo consistebant, a fide illa generali et, si ita loqui fas est, miraculosa ad specialem ac salutarem, credendo atque obsequendo doctrinae Iesu salutari, non progredientes; quoniam ipsis non satis commendum erat, omnibus renunciare totosque se Christo tradere, ut illius mancipium atque usus esset. Huiusmodi homines bona aliqua de se opinione imbutos, Dominus nec plane a se repudiabat, cum in proximo versarentur et ad fidem aliquo modo praeparati essent, nec tamen probabat, ne existimarent assensum illum generalem sufficere ad salutem; quin potius quid deesset significabat et ad progressum hortabatur. cf. Ioh. II, 23. sqq. cap. VIII, 30. sqq. Luc. XIII, 15 - 35. ex his itaque nonnulli quoque in nomine Domini interdum daemonia expulisse videntur. Rarius tamen talia contigisse nec omnibus postea, qui tale quid audebant ex sententia successisse, ex Act. XVIII, 13. sqq. satis appareat; ubi Iudei nonnulli incantatores Paulum praepostere imitaturi, in nomine Iesu daemonia expellere voluisse leguntur, qui vero male a malo spiritu multati abierunt. Cuius rei ratio facilis ad intelligendum est. Potuisse enim illud facile in abusum nominis Iesu degenerare illique fraudi esse; imprimis si eiusmodi homines ceteroquin

D 2

aper-

aperte scelerati erant, talique re vel ad ostentationem vel ad quaestum faciendum abuti instituebant. cf. Act. VIII, 18. sqq.

§. XX.

Verum restat adhuc in quaestionis, quam tractamus, disceptatione, ut etiam in causas inquiramus, cur Deus interdum etiam non renatis propheticos impulsus in certis casibus singularibus tribuerit. Factum igitur illud est sine dubio cum ob illos ipsos tum etiam ob alios. Quod ad ipsos attinet dubitari iure nequit, quin proxime factum illud sit ad eos plane luxrandos et ad fidem salutarem perducendos, ut scilicet ipsi Iesum doctrinamque eius amplectentur ad salutem, cuius vim, veritatem ac diuinitatem hoc modo confirmata videbant, eoque ipso singulari ratione obligati erant ad fidem illi habendam. Deinde factum illud etiam est interdum sine dubio propter alios, si scilicet Dominus videbat, adesse animas decenter constitutas, quibus alia subsidia deerant, et apud quas salutare aliquid eo modo effici posse, praeuidebat. Non ergo erat, cur huiusmodi homines gloriarentur, seque iactarent aut fidelibus Dei seruient, quasi et ipsi spiritum et illius munera haberent; aliud enim est spiritum habere, aliud ab illo interdum pelli; non hoc sed illud demum salutare est, iisque tantum contingit, qui gratiam sanctificantem spiritus recipiunt. Imo extraordinarium tale interdum tributum culpar ac poenam illorum augebat, si consilium diuinum in se ipsis irritum reddebant, ea per scelus ac fraudem diuellentes, quae in vsu conjunctissima esse debent.



NOBI.

el ad
lqq.
amus,
inter-
fibus
o cum
bitari
ne lu-
t ipsi
cius
vide-
m illi
ne du-
immas
quas
ergo
arent
am et
aliud
lutare
m spi-
tribu-
uiuum
u.

OBI.

NOBILISSIMO
RESPONDENTI

S. D.

PRAESES.

Inter varia argumenta Tibi NOBILISSIME RESPONDENS demonstrata, materium de dono prophetico in ecclesia N. T. ad disputandum elegisti, cum officii Tui tamquam alumni Regii esset, publico huiusmodi specimine, quam bene in Te beneficia Regia collocata sint, ostendendi. Cum itaque me adiutorem ac ducem consilii Tui esse volueris, non erat, quod voluntati Tuue in argumenti deleitu repugnarem. Vtile enim admodum et graue videbatur, multumque cum ad illustrationem diuinae gloriae in prima N. T. ecclesia conspicuae, tum ad explanationem haud paucorum N. T. locorum conferre; quod cum ex disputatione ipsa satis appareat, pluribus istud hic persequi opus non est. In principio quidem, omnia hac de re dicenda vnica hac disputatione complecti constitutum erat, postea vero mutatio consilii facta est, cui rationes constare lectores monendos duco. Primo scilicet Tu ipse sumtuum minuendorum causa scriptum nimis longum fieri nobebas; deinde accedebat eo ipso, quo haec agebantur tempore commilitonum alius, cui pariter necessitatem disputandi, et quidem propter accelerandum discessum sine longiori mora, officii ratio imponit, et qui pariter me duce consilium suum exequi cupiebat. Quo concursu rerum

D 3

effectum

effectum est, ut desiderio utriusque Vestrum, diuidenda
argumenti tractatione, commode satisfieri potuerit. Quibus
praedicti habeo adhuc, quae Tecum ipso, NOBILIS-
SIME RESPONDENS brevibus agam. Donum prophe-
tiae, quod ad omnes istius partes attinet, extraordinarii
quidem aliquid habebat. interim tamen simile quiddam
est, quod perpetuum atque ordinarium in ecclesia esse, ac
cui proinde a doctoribus ecclesiae maxime ac Theologiae
cultoribus studeri oportet. Omnia scilicet eo in dono pro-
phetico tribuendo et utendo pertinebant, ut voluntas Dei
hominibus reuelaretur, ipsique ad obsequendum isti, cum
sua aliorumque salute, ducerentur. Iam vero haec ipsa
res est, quae maxime in officio nostro ponitur, qui munera
sacro aut praesumus aut praeparamus, ut ipsi ex ora-
culis diuinis propensam Dei voluntatem in Christo recte
cognoscamus, nosque illi ex animo obedientes praestemus,
aliisque etiam cum oratione tum exemplo ad eandem rem
auctores fidique duces sumus; quo haec agentes, Paulo mo-
nente, et nos ipsos et alios seruemus. Hunc igitur apud
Te quoque NOBILISSIME RESPONDENS proximum
disputationis huius fructum esse velim; quo vere Homo
Dei euadas, viua ac salutari non mortua et inani, de-
cretoria non ludicra, rerum diuinarum cognitione ac tra-
ctatione, ad omne opus bonum praeparatus atque instru-
ctus. Haec summa meorum pro Te votorum est, haec
summa et caput adhortationis meae; cui si locum apud Te
reliqueris, ac praeterea reliqua studia Tua, ut adhuc fe-
cisti, diligenter colueris, ipse recte factorum fructus ubi-
rimos capies, atque etiam rei sacrae aliquando adferes.
D. in Fridericiana X. Cal. Febr. MDCLV.

VIRO



lenda
Qui-
LIS-
ropbe-
marii
iddam
e, ac
logiae
o pro-
s Dei
, cum
ec ipsa
mune-
x ora-
o recie
temus,
rem
lo mo-
apud
cum
Homo
i, de-
ac tra-
instru-
, haec
pud Te
buc fe-
s uber-
feres.

VIRO PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
AMICO ET FAVTORI
SVO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
HENR. VMBVSCH,
OLVENSTAD. MAGDEB.

Gratissima mihi est, quam offert dies hodierna, occasio Tibi declarandi laetitiam meam atque voluptatem singularem, quam ex amicitia, qua coniuncti sumus non recens inita sed multas iam abhinc annos stabilita multisque officiis contestata atque confirmata, percepi. Ex quo enim in notitiam Tuam peruenire mihi contigit ita animi ingenique Tui dotes eximias, diligentiam indefessam, vitae integritatem morumue suauitatem, quibus plurimos doctrinae sanctioris cultores usque adeo superas et antecellis, ut iis exemplo imitatione dignissimo esse possis, admiratus sum, ut omni opera ad conciliandam mihi Amicitiam Tuam admiterer. Neque Te difficilem ea in re reperi. Rogauit et, quod humanitati Tuae tribuo, ingressus sum amicitiam Tuam exoptatissimam. Multis nunc verbis sinceritatem mentis Tuae in me infucatam atque humanitatem singularem praedicare possem, si laudis Tuae praeconem agere liberet; sed haec omnia, quoniam mea laude non eges, praetermitto. Multos vero exinde fructus multumque voluptatis ex consuetudine Tua in me redundasse, ingenue fateor. Quare non possum non Tibi gratulari et honorem ex virili dissertationis defensione consequendum, et fructus quibus, stadio academico propediem finito, cumulatus ab hac Musarum sede discedes. Nihil superest quam ut Tibi Amice suauissime gratias agam pro benevolentia, qua mibi munus opponentis demandare voluisti Deum O. M. precatus, ut caeptis Tuis annuat et omnia prospera ac fausta esse iubeat. Vale ac mibi, ut hoc usque fecisti Fave.

VIRO

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO
DEFENSORI HVIVS DISSERTATIONIS
DOCTISSIMO
AMICO SVO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
BENEDICTVS GVLIELMVS BOETTGER,
MAGDEBURGENSIS S. S. THEOL. STVD.
OPPONENS.

Si quid est, quod me voluptate afficere valet, certe Tua est amicitia, qua me dignum iudicasti. Incredibili quadam laetitia perfundor, tempora, quae mibi in consuetudine Tua, id est, iucundissime, conterere contigit, in memoriam reuocans. Omnes dies, quibus Tecum esse mibi licitum fuit, non modo eas voluptates mibi attulerunt omnes, quas sincera parit amicitia, sed me etiam, quam sit ingenua animi Tui indoles, docuerunt. Te non solum coelo sereno. sed et obscurato amicum perspexi constantem. Mei igitur est, ut eundem amorem tenerrimum, quo me semper complexus es, assiqui eritar. Etsi autem illud a primis amicitiae nostrae initiosis praestare contendi; nunquam tamen mibi contigit, ut tanta amoris erga Te mei specimina, quanta in votis habui, edere potuerim. Hodie nus dies, quo diligentiae Tuae indefessae in studiis prosequendis ac exsolendis primitias colligis, mibi occasionem, quod laetor, longe optatissimam praebuit, quanti Te, quantique amicitiam Tuam aestimo, solemniter declarandi. Munus opposentis, ad quod me compellare Tibi lubuit, libenter subeo, praesertim cum in hoc Tibi evidensimum atque verissimum amicitiae et amoris aduersus Te mei haud fucati constitueris documentum. Etsi enim, quam parum sit in me ingenii, sentio; petitioni Tuae, meoque officio tamen deesse nolui. Et itaque mente ut oppugnator dissertationis appareo, partim ut summe Venerabili Praesidi, in quo colendo patriam mibi constitui sanctitatem

OIV



ONIS
0
TGER.

est ami-
n laetitia
, id est,
mnes dies,
tes mibi
, quam
lo sere-
tur est,
es, affer-
iis praef-
oris erga
Hodier-
dis ac ex-
, longe
anu aefti-
me com-
Tibi eui-
Te mei
un sit in-
effe nolui-
ut sum-
i saudi-
ratem

tatem, publice pietatem meam testatum faciam; partim ut opportu-
nam Tibi occasionem offeram, de me victoriam reportandi plenam;
partim ut Tibi de honore, quo Te hodierno die affectum in cathedra
publica video, gratuler. Hoc loco virtutes Tuas meo iure laudibus
efferre possem maximis; sed quo excurrerem, si eas omnes enumerare
duntaxat conarer? Sane quoque non indigent laudibus aliorum. Ipsae
loquuntur. Relinquo igitur eas, et ut humanitati Tuae parcam, et
ne partes assentatoris maxime detestandi mihi sumere videar. Hoc
tantum adiicio, ut Deus O. M. omnibus Tuis annuat incoepitis ac Te
amicis, patriae, parentibus, Tibique ipsi seruet saluum atque inco-
lument. Vale, et me, ut facere soles, ama. Dabam Halae ad
Salam d. Febr. MDCCCLV.

MONSIEVR,

Vous êtes trop mon ami pour ne pas permettre que je joigne
mon applaudissement aux autres que Vous présentent Vos
amis à l' occasion de ce que Vous faites l'épreuve de Votre
érudition. Je suis si ravis d'avoir trouvé l' occasion de Vous té-
moigner combien je prends d'intérêt à Vos perfections, que je
n'ai pas assez de termes pour en exprimer ma joie. Votre assiduité
avec laquelle Vous avés continué dès Votre jeunesse jusqu'à
présent Vous a mis en état d'entreprendre la défense d'une cause
aussi considérable, & elle Vous a communiqué la science de défen-
dre solidement les vérités que renferme Votre dissertation. Com-
bien de louange cette dexterité ne mérite-t-elle pas? Mais pour
ne pas offenser Votre modestie, je dirai seulement qu'elle est di-
gne d'être récompensée de la providence divine. Et c'est, Mon-
sieur, ce que je Vous souhaite au gré de Vos désirs. Plus que
cela comme Vous avés une ame pleine de vertu & faite pour
l'amitié, je Vous prie d'être toujours mon ami comme à pré-
sent

E



sent & de croire que je ne cesserai jamais d'être avec la plus
parfaite estime

MONSIEVR,

*Votre très humble & très obéissant
serviteur*

O. G. SPENGLER.

MONSIEVR

L'amitié dont les doux liens nous ont vins si étroitement
l'vn à l'autre depuis tant d'années ne me permet pas
d'etre insensible dans vne occasion, qui Vous comblera
d'honneur. Vous allez soutenir avec adresse la defension d'une
These, dont Vous vous êtes chargé. Votre habileté Vous atti-
rrera les applaudissewens & les éloges, qui lui sont dûs, & que
personne ne lui refusera, qui en fait estimer le prix. Com-
ment pourroisje m'empecher de ne pas faire éclater les mar-
ques de cette douce joie, que j'en ressens dans le fond de mon
coeur? De ce coeur ennemi mortel du fard, qui Vous aime sin-
cerement, & qui trouve tant de plaisir d'être aimé de Vous.
Continuez moi, Monsieur, je Vous en prie très instamment,
cette amitié, qui m'a donné tant de satisfaction & qui fait qu'il
n'y a pas pour moi de nom plus agreable que celui d'etre

MONSIEVR

Votre ami & serviteur

REICHE.

***) o (***

TYPOGRAPHIA

00 A 6359




VD 18

10/07

Retro







ATIO THEOLOGICA PRIMA

DE

PROPHETIAE IN NOVI TESTAMENTI

QVAM

R A E S I D E

GEORGIO KNAPP

ET PROF. PVBL. ORDIN.

VI. FEBRVARII MDCCCLV.

GIA FRIDERICIANA

PVBLINE DEFENDET

GEORGIVS OBERDÖRFFER

MAGDEBURGENSIS.



LAE MAGDEBURGICAE
CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.